

tare sive renunciare salvo iusto impedimento. ¶ Et ¹⁾ quilibet de maiori consilio possit esse saltarius si fuerit electus et confirmatus, salvo quod possit renunciare dictum offitium si voluerit. ¶ Et exire debeant dicti saltarii ad eorum saltarias in die sancti Petri apostoli, et stare ad eorum saltarias et custodias usque ad festum sancti Georgii subsequentem venturum, et habere debeat quilibet dictorum saltariorum libr. octo par. pro suo salario. ¶ Et electores saltariorum facere debeant bonam et ydoneam securitatem pro illo saltario quem eligerint, de solvendo omne dampnum datum et furtum factum tam per ipsum quam per alias personas in proprietatibus positis in districtu Tergesti sub eorum custodiis dominis rerum, et hoc usque ad tempus decem annorum post eorum exitum, si sciri poterit, remanentibus semper bonis ipsorum saltariorum eisdem electoribus obligatis. ¶ Et si tales electores saltariorum dictam securitatem facere non possent, tunc saltarius taliter confirmatus fatiat // fieri dictam securitatem pro se ipso per modum supradictum, et si tam ipsi electores quam ipsi saltarii ipsam securitatem facere non possent, tunc ipsa electio et confirmatio sit cassa et vana et nullius valoris. ¶ Et stare debeant ad eorum antiquas custodias sive saltarias, nec ire possint ad aliquod festum tam in civitate Tergesti et eius districtu quam extra civitatem et districtum Tergesti. ¶ Nec venire in civitatem Tergesti modo aliquo, nisi in qualibet septimana una die et una nocte dormire possint in civitate Tergesti, et cum venerint statim cum armis se presentare domino potestati vel eius vicario, quorum presentatio scribi debeat per notarium malefitii, et cum exiverint civitate similiter se presentare dominio et se scribi facere et diem recessus. ¶ Et ea ²⁾ die qua scribetur recessus exire debeant civitate, etiam pena centum sold. par., medietas cuius pene deveniat acusatori de predictis. ¶ Et quod miles domini potestatis vel milites possint et debeant sacramento acusare quemlibet saltarium contrafatientem ut dictum est, et habeat medietatem

50 A

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ Aggiunta marginale *ea-recessus*.